

dies redditus (is ab eo, quem novissime viderat, tertius) corpus inventum est integrum, illaesum opertumque, ut fuerat indutus: habitus corporis quiescenti, quam defuncto, similior. Interim Miseni ego et mater. Sed nihil ad historiam, nec tu aliud, quam de exitu ejus, scire voluisti. Finem ergo faciam: unum adjiciam, omnia me, quibus interfueram, quaeque statim, quum maxime vera memorantur, audiueram, vere persequutum: tu potissima excerpes. Aliud est enim epistolam, aliud historiam; aliud amico, aliud omnibus scribere. Vale.

V. C. PLINIUS VALERIO PAULINO SUO S.

«Hortatur ad studium, quum sit litteris adhuc honor.»

Gaude meo, gaude tuo, gaude etiam publico nomine. Adhuc honor studiis durat. Proxime, quum dicturus apud centumviros essem, adeundi mihi locus, nisi a tribunali, nisi per ipsos iudices, non fuit: tanta stipatione cetera tenebantur. Ad hoc quidam ornatus adolescens, scissis tunicis, ut in frequentia solet, sola velatus toga perstitit, et quidem horis septem. Nam tamdiu dixi, magno cum labore, sed majore cum fructu. Studeamus ergo, nec desidiae nostrae praetendamus alienam. Sunt, qui audiant, sunt, qui legant: nos modo dignum aliquid auribus, dignum chartis elaboremus. Vale.

VI. PLINIUS VALENTI SUO S.

«De fragilitate humana queritur, quum nullos in quadruplici iudicio, quos iuuenis habuerat, socios vidisset.»

Proxime quum apud centumviros in quadruplici iudicio dixissem subiit recordatio, egisse me iuuenem, aequae in quadruplici. Processit animus, ut solet, longius: coepi reputare, quos in hoc iudicio, quos in illo socios laboris habuissem.